QVÆSTIO MEDICA CARDINALITIIS EXAGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM DIE MARTIS XVIII MAII D. CLAVDIO BOYVIN DOCTORE MEDICO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An renum & vesicæ affectus per deiectiones expurgantur?



Enum & vesicæ non minor est necessitas quàm intestinorum, nec pauciores morbi ab his quàm illis. Purgantur per vesicam & eos afficit omne morbi genus, intemperies, soboles plurimùm, calidioris hepatis, obstructio, phlegmone, abscessus, vlcus. Qui hepate sunt calidiore, quoniã iidem & renibus, idcircò diabeti procliuiores sunt: aut si multa pituita, viscida in renibus subsideat, obnoxij arenulis fiunt, tandem calculo, morbis ferè hæreditarijs, Nephritis est renum inflammatio, cui hæmorrhoïdes salutares: vlcus autem senibus insanabile, eóque magis si cum pure sanguis exeat, aut pus fœtidũ meiatur. Quod cum ab abscessu gibbæ iocinoris, cordis vel thoracis aut pleuritide suppuratâ per vrinas redditur, vt renum aut vesicæ vlcus mẽtitur, sic naturæ victoriam, in morbis alioqui insanabilibus demonstrat. Profluuia vrinarum crassa, cocta, multa, & sine siti, critica esse solent: ex quibus sanitas, potu liberaliore aut diureticis à medico sollicitari potest: cúmque spes est abscessum iri ad articulos, iisdem, æger liberatur.



Esica omni morborum generi obnoxia, per vrethram expurgatur, & renum affectibus non raro compatitur. Hinc qui sanguinem aut pus meiunt, iis renes aut vesica vlcerata: si cum vrinâ veluti carunculæ subsideant, renes: si summum est pingue, & confertum, iis renum dolor & morbus acutus significatur. adeò per vesicam, totius corporis, & interdum partis vacuatio fit. Cum menses aut hæmorrhoides subsistunt, aut renes præ imbecillitate, serum à sanguine non secernunt, vrinæ meiuntur tinctæ; cùm nec attrahunt, nec secernunt, hinc ascites vel anasarca. Quibus vrinæ diuulsæ, iis fortis turbatio in corpore fit: si vrinæ sedimẽtum speciem referat farinæ crassioris, malum: si squamularum more consistat, peius: si tenue & candidum admodũ, periculosum: si furfureũ, magis. Vrina sana subcrocea est; minùs similis, morbosior. tantum certitudinis in vrinis ad prognosin. Condolet & vteri intestinorumque laboribus: vnde recto intestino aut vtero inflammato, & renibus purulentis, stranguria accidit; & in virginibus, viduis, grauidis, dum menses deficiunt, lotij meatibus obturatis nec lotium suscipientibus, tangenti dolet.



Ntestina non minùs morbosa. Eorum vsus est, totius corporis & singularum partium, quæ per sanitatem & morbos colligunt, excrementa recipere & foràs mittere, sed nonnunquam secùs. Longo enim alui profluuio laboranti spontaneus vomitus superueniens morbum soluit; sed lippientem eodem corripi, bonum. In voluulo dum vomuntur fæces, lethale, nisi perirrhoea superueniat. Dysenteria si ab atrâ bile incipiat, mortiferum: si cum cibi fastidio diuturnior sit, malum: si cum febre, peius. Sanguinem autem suprà ferri, qualiscunque sit, aut veluti carunculas deijci, mortem denuntiat. Laborantibus cerebro, ventriculo, lieni, vtero & simis hepatis, sæpe compatiuntur intestina, vt renes, gibbis. hinc febrientibus si sanguinis fluxerit copia, quâcunque ex parte, cum reficiuntur, alui iis humectantur, & melancholiâ detentis hæmorrhoïdes superuenientes, bonũ. Ab intemperie ventriculi, hepatis, & intestinorum fiunt cœliaca passio, lienteria, diarrhœa, vt nominibus, ita naturâ & causis distinctæ. Febrientibus biliosæ deiectiones superueniente surditate cessant: hæc, illis. insanientibus varices vel hæmorrhoïdes salubres.



Liæ multæ corporis partes alijs vijs mage diuersis non raro purgantur vel morbum contrahunt. Excreationes in febribus non intermittentibus, si commodè prodeant, siue per aluum, siue per vesicam, bonæ. Aqua quæ est inter cutem & peritonæum, per ventrem euacuari potest; contentum pus in vomicâ pulmonis, per vesicam. Pituitâ inter ventriculum & septum transuersum repositâ & dolorem afferente, nec habente viam ad alterum ventrem, per venas in vesicam versâ, sanatio. Pleuriticorum & peripneumoniâ decumbentium mors propinqua est, si alui profluuiũ aduenerit: leucophlegmatiâ autem, salus. Bilis flaua per insolitos meatus foràs erumpit, in cholerâ. Pharmaca interdum adeò pollent, vt vnicâ sorbitione pallidus color morbi regij fugari posit: venena calida, toto genere: frigida, solâ qualitate deleteria, totam corporis substantiam permeando interficiunt: quæ tamẽ œsophagus vorare & vomere potest innoxiè. At natura plus potest. Venulæ tempore æstiuo exsiccatæ, acres & biliosas, quæ tenues fiunt, humiditates ad se trahunt, & fit χῦλος: & venæ ipsæ atque arteriæ ex ipso ventriculo & intestinis cibum sugere possunt, & nutriri assimilato, antequam ad hepar peruenerit.



Ed morborum omniũ causæ vt diuersæ, ita & remedia. Augentur vrinæ supra modũ, colliquatione, cruditate, calefacto capite, destillatione, potu immodico, cibo humidiore, otio, pororum obductione, vel haustu alieni aëris. Supprimuntur nonnũquam & vesicam adeò intendunt, vt nequeat eas expellere, vel ob imbecillitatem facultatis excretricis, vel ob grauem somnũ, vel negotia retentâ colluuie vltra quàm par est. Ad medẽdum, contraria indicantur, illic fames & sitis, hîc medicamenta extenuantia, venæ-sectio, clysteres, diuretica: quæ vt calida omnia, sic hydragoga. Sunt & vsui odorata, & vinum præsertim album tenue, potu liberaliore sumptum. Quòd si vesica vel exulcerata, vel quouis morbo præpedita exonerare se noxio humore nequeat, succurrit aliquando natura medicatrix, vel per se sola, vel κατωτερικοῖς adiuta: cuius virtute transmittitur vrina aut quiuis humor noxius & expellitur per vias, quibus commodè fieri id potest, potest autem per deiectiones, sicque dum fluente aluo minùs meiitur, sensim vesica liberatur. Nec est magis difficile vesicam purgari per intestina διαῤῥοίᾳ, quàm hæc per illam περιῤῥοίᾳ vt in voluulo & aliis eorundem doloribus, aut pituitam illam inter ventriculum & diaphragma ad vesicam verti. /—

alij sic legunt — Lystrim fellis per totum corpus In Ictero, et febribus biliosatis Crisibus. [illegible]

Ergo renum & vesicæ affectus per deiectiones expurgantur.

ASSEREBAT IOANNES LE MERCIER CASTROTHERICVS ANNO SALVTIS. 1599.

